



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
SIGNIS GRAVIDITATIS
CERTIS

23
—
17528

QVAM
ANNVENTE DIVINA GRATIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
D O M I N O
ERN. AVG. CONSTANTINO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQA.

SVB PRAESIDIO
CAROLI FRIDER. KALTSCHMIED

PHILOSOPH. ET MEDICIN. DOCTORIS, ANATOMIAE, CHIRVURGIAE ET
BOTANICES, PROF. PVBL. ORDINARIJ. SERENISS. DVC. SAXO-VINA-
RIENSIS ET ISENACENSIS ET SERENISS. MARCHIONIS BRANDEN-
BVRGICO-CVLMBACENSIS CONSILIARIJ AVLICI, PRIORIS MEDICI
ET PHYSICI, COMIT. PALATINI CAESAREI ACAD. IMP.
NAT. CVRIOS. COLLEGAE.

PATRONI PROMOTORIS AC PRAECEPTORIS
OMNI PIETATIS CVLTV AETATEM
DEVENERANDI

PRO GRADV DOCTORIS
MORE MAIORVM RITE OBTINENDO

DIE XIX. APRIL. MDCC LII.
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBIIICIT
A V C T O R
IOANNES CHRISTOPHORVS HARRES
ISENACENSIS.

IENAE LITTERIS TENNEMANNIANIS

DISSELTATIO MEDICAE
SIGNIS GRAVIDITATIS
CERVICIS

AVT
ANNE DE DIVINA GRATA
RECTORE MAGISTRO
SERENISSIMO THOMAS DOMINO
D. G. M. I. N. O.
FR. AVG. CONSTANTINO

CAROLI I. D. N. I. R. S. E. N. S. I. D.
P. R. O. G. R. A. V. I. D. I. T. A. T. I. S.
M. O. R. I. N. A. T. I. S.
P. R. O. G. R. A. V. I. D. I. T. A. T. I. S.

PRO GR. V. D. I. T. I. S.
M. O. R. I. N. A. T. I. S.
I. O. A. N. N. E. S. C. H. R. I. S. T. I. A. N. N. I.
L. I. B. R. A. R. I. I. S. T. E. N. O. G. R. A. V. I. D. I. T. A. T. I. S.



Q. D. B. V.
DISSERTATIO MEDICA
INAUGVRALIS.

DE

SIGNIS GRAVIDITATIS CERTIS.



§. I.

Si à tempore celebrati coitus in femina talis exoritur mutatio, vt post aliquot dies foetum in vtero gerat, tunc concepisse dicitur; et talis foemina, quae concepit audit Grauida seu Praegnans. *

§. II.

Duae grauiditatis species ab aliis consticquuntur, ab aliis vero tres. Sic DE LA MOTTE grauidatem diuidit in
A 2
veram,

* Conf. Elem. Physiol. Illustr. HAMBERGEKI Praeceptoris mei omni reuerentiae cultu maximopere venerandi. Cap. XV, §. 1442.



veram, falsam, atque praeternaturalem. Quid intellexerit subqualibet specie indicavit SCHAARSCHMID.*

§. III.

Qui duas vero tantum grauiditatis species (§. II.) ponunt, isti eam diuidunt in bonam atque malam: Bonam grauiditatem appellant, quando verus foetus in cavitate vteri haeret; malam vero nuncupant, cum corpus praeternaturale quoddam loco foetus in vtero latet.

§. IV.

Signum est omne id, ex quo existentiam alterius entis cognoscimus: erunt ergo signa grauiditatis talia, ex quibus rite cognoscere seu concludere possumus, concepisse foeminam (§. I.).

§. V.

Haec grauiditatis signa vulgo diuiduntur in dubia, incerta, atque certa seu infallibilia (§. I. III.).

Schol. Secundum regulas quidem logicas haecce diuisio non est genuina, nam signa dubia sub incertis continentur, incerta enim signa vel sunt improbabilia vel probabilia, vel dubia (per princ. Metaph.); quia vero ab iis, qui obstetricandi artem exercent, est recepta, ideo retinemus etiam hanc in nostris meditationibus.

§. VI.

Signa grauiditatis (§. I.) dubia vocantur, quae semper in grauiditate se repraesentant, sed cum certitudine eam non indicant: Incerta dicuntur quae in quibusdam grauidis obseruantur, in aliis vero non: Certa deni-

* Vid. eius Abhandlung von der Geburths-Hülffe.

denique seu Infallibilia sunt, quibus positis etiam ponitur grauiditas, ita, vt ab horum praesentia cum certitudine ad statum grauiditatis argumentari possimus.

§. VII.

Signa incerta (§. VI.) sunt: vulua à concubitu sicca manens, mixtura ex vino et melle pura, experimentum suffitus, de quo etiam HIPPOCRATES loquitur Sect. V. Aph. 59., os vteri clausum, teste laudato HIPPOCRATE, dolores yagi circa vmbilicum et circa lumbos, dolores capitis, abhorrescentia à concubitu, vasculorum minimorum in oculis turgescentia et rubedo, caligines oculorum, papillae in mammis minores comparentes, pica, grauedo, dolor grauatius in hypogastrio, frequentes cordis palpitationes, insomnia, lipothymiae, Einae mictio difficilis: certo respectu huc etiam pertinent, ea quae in Ephem. Nat. Curiofor * extant.

§. VIII.

Ad signa dubia (§. VI.) referimus lassitudines, respirationem difficilem, nauseam, matutinum vomitum, mensium emanationes, lac in mammis harumque intumescentiam, pedum tumores maxime circa malleolos, labiorum vuluae magnitudinem praeternaturaliter auctam. Maculas flauas in facie, quae ephelides dicuntur.

Schol. Signa, quae praebet vrina grauidarum, et quae vt certa à quibusdam scriptoribus adducuntur, nostris temporibus sunt dubia.

§. IX.

Tandem signa certa (§. VI.) de quibus hic est sermo sunt:

A 3

1.)

* Ana. 9. et 10. obseruat. item Dec. II. Ann. 19. obseru. 89.



- 1.) intumescencia abdominis successiua
- 2.) foetus in vtero haerentis motus
- 3.) constitutio colli seu cervicis vteri peculiaris, quae ope digiti vel vnus vel plurium in vaginam vteri intruforum vsque ad dictas partes, exploratur, id quod Galli *toucher une femme* vocant.

§. X.

Sunt quidam Medici et Icti, qui negant certa atque infallibilia grauiditatis signa, vt HIPPOCRATES Lib. de Nat. pueror. SYLVATICVS de iis, qui morbum simulant, ZACHIAS Qu. Med. Leg. L. I. Tit. 3. aliique, quod asfertur sub certis limitationibus, si de mense primo, vel secundo grauiditatis intelligitur, non negatur; si vero in toto haecce signa, vt certa, in dubium vocantur, taxandi sunt.

§. XI.

Ratio enim est habenda temporis grauiditatis, pro uti enim hoc variat, ita etiam variabunt haec signa grauiditatis ratione maioris vel minoris certitudinis. Iure enim affirmamus haec á nobis recensita signa grauiditatis (§. IX.) non habere locum, tanquam certa quouis gestationis tempore, sed tunc demum, quando medium gestationis tempus (quod tempus gestationis est aequale tempori XXXIIX, XXXIX vel XL hebdomadam) iam fuit praeterlapsum.

Schol. Necessarium ergo est, vt dicta haec signa seorsim examinemus, atque cuiuslibet naturam veram, quatenus grauiditatem certo indicat, indicemus.

§. XII.

§. XII.

Intumescencia abdominis tanquam primum, si tempus gestationis medium est praeterlapsum, certum graviditatis signum (§. IX. XI.) si est á foetu in vtero haerente, sequentia habet requisita:

- 1.) sine causa manifesta sanitatem laedente praegresla oritur:
- 2.) magis circa umbilicum obseruatur, imprimis, si mulier grauida ieiuna supina iacet, cruribus versus abdomen tractis:
- 3.) coniuncta est cum prominentia umbilici satis notabili vltra superficiem abdominis:
- 4.) est dura, tensa, plus minusue acuminata:
- 5.) successiue increfcit, semper tamen aequabiliter, et non est coniuncta cum partium superiorum corporis emaciatione:
- 6.) cum mollitie hypochondriorum obseruatur:
- 7.) sine dolore est manifesto:
- 8.) nulla sentitur fluctuatio, si abdomen concutitur, nullusque, si digitis percutitur, oritur sonus.

Consequenter haec intumescencia ab ea, quae ab aliis contingit causis, potissimum sese distinguit partim

- α.) ratione figurae, partim
- β.) ratione incrementi, partim
- γ.) ratione aequabilitatis, partim

δ.)

3.) ratione aliarum circumstantiarum v. g. doloris, contabescenciae partium superiorum.

§. XIII.

Ex dictis ergo cognoscimus, quomodo possimus intumescenciae abdominis, quae fit ab hydrope, vel tympanitide, vel scirrho, vel flatibus, facile discernere ab intumescencia, quam foetus producit. Si hydrops est causa intumescenciae, tunc sentitur fluctuatio si abdomen mouetur, obseruatur emaciatio partium corporis superiorum, causa manifesta laedens adparet, incrementum non est aequabile, figura non est acuta, dolor vrget. Si est a tympanitide incrementum magis est subitaneum, dolor est ingens, figura tumoris non est acuminata, causa praegressa manifesta assignari potest, abdomen, si pulsatur, exhibet sonum; etc. Si est a scirrho, tumor est magis inaequabilis, incrementum successiuum obseruatur distincte, tumor non est circa umbilicum, saltem non semper. Si est a flatibus dolor adest satis grauis, tumor magis obseruatur supra umbilicum, tumor non est aequabilis, successiue non increfcit, deest mollities hypochondriorum, et causa manifesta laedens est praegressa (§. praec.).

§. XIV.

Cur aequabilis sit tumor abdominis in statu grauiditatis huius ratio in incremento foetus est quaerenda, crescit enim aequabiliter. Ergo etiam intumescencia est aequabilis. Haec etiam est ratio successiui intumescenciae incrementi. Ratio figurae acuminatae in vtero se se expandente atque foetu in vtero contento potissimum latet.

§. XV.

§. XV.

Cur sine dolore manifesto haec abdominis expansio (§. IX. no. 1.) in statu graviditatis sit, exinde cognoscimus, quia successiva est, nam dolor omnis est sensatio tristes, * quae dependet à fibris sensibilibus subito expansis ad rupturam vsque, haec vero deficit ob lenem et diurnam fibrarum expansionem, quae in graviditate contingit. Neque tamen negamus, quandoque et hanc expansionem non sine omni molestia fieri.

§. XVI.

Alterum signum tempore praegnationis medio praeterlapso graviditatis certum (§. IX - XI.) est motus foetus. Dantur quidem alii motus, qui in abdomine contingunt, sed facile motum, qui est à foetu vtero incluso, distinguere possumus à motu, qui aliam cognoscit causam, quando attendimus ad sequentia:

- 1.) Si motus est à foetu, tunc talem gravida persentiscit, qualis v. g. est is, qui percipitur, quando aliquis dolio cuidam inclusus suis digitis parietes doli pertundit:
- 2.) Si motus est à foetu, est lenis, mox cessans, de novo tamen repetens:
- 3.) Si motus est à foetu, non est cum dolore conjunctus. Nam primum impetum motus foetus sustinent aquae, quae ipsum circumdant, in his ergo aequabiliter sese distribuit; ergo impetus necessario decrescit, dein continuat adhuc per membranas

* Secundum theoriam Illustr. HAMBERGERI.



nas foetum includentes, ac tandem sese exferit in abdominis parietes, hinc nulla extensio fibrarum sensilium praeternaturalis, quae rupturae proxima, adeoque nullus dolor confurgit.

§. XVII.

Hic vero motus (§. XV.) dependet à foetu, quatenus viuus est et in sua cauitate se mouet, in qua delitescit, quia vero in primis gestationis mensibus motus foetus paruuli nondum persentiscitur, quia vis, qua sese mouet, admodum parua, hinc etiam, vt signum certum non prius locum obtinet, quam vsque dum medium gestationis tempus praeterlapsum.

§. XVIII.

Variat praeterea hic motus ratione vehementiae (per exper.) in aliis est magis vehemens, in aliis vero minus vehemens.

§. XIX.

Ratio diuersitatis huius motus (§. XVIII.) ratione vehementiae haeret tam in grauida ipsa, quam in foetu atque aquis, quae foetum circumdant.

§. XX.

Sic in omnibus grauidis, quae sunt graciles, mollioris constitutionis, quae cuti tenui, fibrisque teneris praeditae, quae admodum sunt sensiles, motus foetus relatiue erit vehementior, teste experientia, quam est in eiusmodi grauidis, quae corpus robustum, cutem duram, fibras rigidas et non admodum sensibile genus neruorum habent.

§. XXI.

§. XXI.

Motus vehemens et magnus à foetu (§. XIX.) in vtero latente perficitur, si est satis robustus, ac de reliquo sanae constitutionis; imo teste experientia etiam in quibusdam casibus, si est morbosus, v. g. anxietatibus, doloribus excrucietur, tunc enim per vehementiorem motum dolores mitigare studet; minus vero vehemens, si ex morbo grauiori magis debilis redditur. Aquae ipsae (§. XIX.) motus efficiunt, si in minori copia sunt praesentes, vt vehementior sentiatur, si enim maiori quantitate adsunt, tunc in iis vis, quam exercet foetus, maxima ex parte euanescit.

§. XXII.

Ex his omnibus (XVIII. XIX. XX. XXI.) patet, quam necessaria sit motus huius cognitio Medicis, imo Obstetricibus. Accidit enim non raro, vt mulieres grauiditatem celent. In quo casu Iudices Medicorum vel Obstetricum iudicia expectant, num eiusmodi mulieres reuera grauidae nec ne? Hinc vt quid certi possint pronuntiare respectu grauiditatis, ob quam tales feminae sunt suspectae, omnia grauiditatis signa probe perpendere quidem debent, imprimis vero ea, quae sunt certa (§. IX.). Haec vero cognoscuntur potissimum inspectione ventris: quare haec instituenda.

§. XXIII.

Quando ergo Medicus motum foetus ipse persentiscere vult, sequenti modo est procedendum: faceat femina ieiuna, postquam antea sese ab \square na atque fecibus aluinis liberauit, supina, imponat Medicus vel Obstetrix denudato huius mulieris abdomini manum exten-



sam ita, vt pollex manus vmbilicum, digitus vero auricularis synchondrosin ossium pubis contingat, iubeat dein, vt mulier inspiret, ac rursus expiret, tunc quando expirat, premat abdomen introrsum, tunc persentifcet non solum duritiem quandam rotundam, sed et simul foetus motum, qui erit eo manifestior:

- a.) quo frigidior manus extensa imposta fuit, et
- b.) quo plures menses grauiditatis fuere emensi,
- c.) quo robustior foetus,
- d.) quo minor copia aquarum, à quibus obuelatur.

Schol. Hac ratione etiam Medici vel Obstetrices certiores redduntur de grauiditate ficta, quando quaedam mulieres in ea versantur opinione, ac si re vera motum infantis sentirent, cum tamen interdum flatus motum, qui aliqua motui foetus est similis, excitare possint.

§. XXIV.

Dicendum nunc quoque de tertio signo certo grauiditatis, nempe de colli vteri huiusque orificii constitutione. Haec vt perspicue cognoscatur (§. IX.) dicendum est:

- 1.) quomodo collum vteri ac orificium vteri internum se habeant extra tempus grauiditatis, nempe tam in virginibus, quam mulieribus, quae vel semel vel aliquoties peperere?
- 2.) quomodo se actu habeat in grauidis?

§. XXV.

Virginum collum vteri (§. XXIV.), vti exploratio ope digitorum immissorum facta, declarat, est longum, durum, acuminatum quasi, et peripheria est satis aequalis, orificium vero internum est penitus clausum, vti ex rima transversali, quam habet, quae isto tempore ne stilum quidem subtiliorem admittit, adparet.

Schol. Ita se habet orificium vteri internum atque collum vteri virginum, quando menstrua non fluunt, si vero his laborant, tunc collum, quod magis tumefactum, ac molle, orificium vero internum magis dilatatum obseruatur, ita vt saepe tanta apertura sit, quanta requiritur, vt minimi digiti crassities per eam transire queat.

§. XXVI.

Collum vteri mulierum, atque huius orificium internum, quae semel vel aliquoties foetus in lucem ediderunt (§. XXIV.) differt aliquo modo à constitutione colli vteri ac eius orificii interni virginum (§. XXV.) et quidem ita: Est nempe collum minus longum, atque saepe cicatrices animaduertuntur, quae ortum suum trahunt à partu difficili praegresso, rima vero transversalis magis est quoque aperta, quam in virginibus (§. XXV.).

§. XXVII.

Ratione grauidarum (§. XXIV. n. 2.) tenendum:

1.) in grauidis collum vteri decrescere durante grauiditate semper ratione longitudinis, crassitiei et acuminis (§. XXV. XXVI.)

2.) collum vteri magis molle obseruari, imo hoc

- 3.) vltimis gestationis temporibus fere euanescere, ita vt nulla plane prolongatio adpareat amplius.
- 4.) orificium vteri internum sensimque magis aperiri, adeo, vt vltimis gestationis mensibus non solum vnus vel plures digiti transire possint, sed et vt ope digitorum immisforum foetus ipse, qui, si nondum est fatis magnus, instar pilae, sursum pelli potest, sentiri possit.

§. XXVIII.

Ex dictis (§. XXVI. et IX. ergo) patet, 1.) quod opinio de coniuentia orificii vteri interni, de qua HIPPOCRATES loquitur, quando Sect. V. aph. 51. expressis verbis inquit, *qui ventrem ferunt, iis q̄ri os coniuuet*, falsa sit; 2.) quod quoque eorum sententia sit erronea, qui credunt, in grauidis orificium vteri internum ita sursum trahi, vt attingi nequeat vel pluribus digitis, vel vno tantum.

§. XXIX.

Quaeri potest: vndenam haec euanescentia colli vteri in grauidis atque apertura orificii vteri interni successiue maior euadens proueniant? Rem si accurate consideras, videbis, causam et in ipso grauidae vtero, et in foetu haerere.

§. XXX.

In vtero haeret causa (§. XXIX.) quatenus gaudet fibris muscularibus, quae extendi possunt. Et ex decursu harum fibrarum muscularium cognosci potest, dictas fibras extendi non posse, nisi simul abbreviatio quaedam colli vteri, cum qua dein necessario connexa est maior

maior orificii ſri interni apertura inſequatur. In foetu cauſa ponitur, quatenus pondere ſuo, quod in dies increſcit, orificium vteri premit, vt hinc neceſſario magis aperiatur.

Schol. Inde quoque intelligitur (§. praec.) cur ſenſibilis mutatio colli atque orificii interni vteri poſt tempus geſtationis medium demum animaduertatur. Tunc enim foetus exponere et magnitudine increſcit magis, vt hinc preſſio orificii interni vteri, atque ampliatio cauitatis vteri magis magisque augeantur.

§. XXXI.

Omnia quae adduximus (§§is praec.) de conſtitutione colli ac orificii vteri interni vera eſſe experientia comprobatur, quam obtinemus, quando digitum vnum vel plures, vt dictum, per vaginam vteri vsque ad loca recenſita immittimus. Et ſic conſtitutionem ipſi inueſtigamus. Talis actio, *Tactus Germ. Das Fühlen zu einer Frau oder das touchiren*, adpellatur.

§. XXXII.

Ab inſtituto ergo noſtro non erit alienum quando paulo vberius de hoc *Tactu* (§. XXXI.) loquimur ac ſimul proponimus:

- 1.) quid ſit *Tactus*?
- 2.) quotuplici modo inſtituatur? et
- 3.) quanam ratione?
- 4.) quo tempore in grauidis quam maxime inſtitui debeat?

§. XXXIII.

§. XXXIII.

In scholis, quae nos artem obstetricandi docent, definitur Tactus germanis *das Fühlen zu einer Frau*, ita: quod sit talis actio, qua Medicus, vel Chirurgus, vel Obstetrix vnum vel plures digitos in vaginam vteri foeminae immittunt, et in ea ulterius mouent vsque ad collum vteri huiusque orificium, vt sic constitutionem diti colli eiusque orificii cognoscant.

Schol. In genere de digitis, qui immittuntur, et qui sunt vel index solus, vel index ac medius simul, notandum: 1.) vt immittantur madefacti salua vel inuncti materia oleosa, vt butyro, oleo, ne ex affricu laesio et dolores oriantur; 2.) vt non habeant unguis magis prominentes, alias facile collum vteri, quod admodum fenile, laedi potest.

§. XXXIV.

Fit vero Tactus dictus (§. XXXIII.) in grauidis vel à Medicis vel Chirurgis vel Obstetricibus triplici potissimum modo nempe:

1.) vel stant:

2.) vel genibus flexis terrae insistant:

3.) vel sedent.

§. XXXV.

Quicumque fuerit situs (§. praec.) perinde est, modo sequentia semper probe obseruemus, nempe:

1.) vt pollicem manus regioni pubis applicemus, reliquos vero digitos regioni perinaei;

2.) vt digiti, qui immittuntur vaginae, semper incumbant superficiei vaginae inferiori, et in hac vltimus,

rius, sensim tamen promoueantur, vsque dum ad col-
lum atque orificium vteri internum peruentum sit:

3.) vt quando ad locum desideratum, scilicet ad col-
lum vteri, peruentum, digitos immisos probe cir-
cumducamus, vt sic possimus explorare

a.) ipsam colli vteri constitutionem ratione crassi-
tiei, mollitiei, longitudinis, peripheriae, nec
non

b.) orificium ipsum vteri internum, num magis vel
minus apertum, et quomodo se labia dicti orifi-
cii habeant, item; an pars quaedam foetus iam
occupet dictam aperturam, et quaenam haec sit,
nec ne?

4.) vt in parte vaginae vteri inferiori digitos immit-
tamus.

§. XXXVI.

Ad dicta si probe attendatur (§. XXXV.), tunc
sequentia exinde promanant commoda, nempe vt

1.) semper ope digitorum vsque ad collum vteri per-
uenire possimus, licet etiam vagina sit magis lon-
ga, vel digiti nostri minus breues; semper enim
breuiorem vaginam reddere possumus vel per ma-
num dicto modo (§. praec. no. 1.) adplicatam, vel per
situm mulieris, cuius constitutio colli orificii vteri
interni examinatur, mutatum:

2.) certi sumus, id, quod a digitis immisis tangitur,
esse collum vteri eiusque orificium internum:

C

3.)



- 3.) nulli dolores hac ratione in femina, cuius constitutio colli vteri eiusque orificii inuestigantur, suscitantur, quippe qui facile oboriri possunt, quando digiti a parte superiori vaginae intruduntur, crines enim praesentes tunc facile simul intro trahuntur.
- 4.) vt certo scire possimus, quanam pars foetus orificium vteri internum occupet, modo omni cautione vtamur, quae est possibilis.

§. XXXVII.

Situs foeminae, cuius constitutio colli atque orificii vteri interni indaganda, equidem varius quoque esse potest, quatenus v. g. vel stat vel cubat etc. quicumque tamen hic fit, Medicus, Chirurgus, Obstetrices finem tamen consequi poterunt, si modo semper dicta (§. praec.) memori mente custodiant.

§. XXXVIII.

Tactus imprimis isto quoque tempore est instituendus, si

- 1.) grauida vel affirmat, se esse in vero partus labore, cum tamen reuera non sit:
- 2.) si veri dolores partus adsunt, femina vero hos negat: et tandem
- 3.) si dolores partus veri ad tempus iterum euanuerunt.

§. XXXIX.

In illis, qui dicunt, se esse in ipsis veris partus laboribus constitutas, commendatur Tactus (§. XXXIII.)
vt

vt adpareat, an reuera res ita se habeat. Quodsi enim col-
lum vteri fere planum euanuit, orificium vteri internum
ita apertum, vt per istud ope digiti immissi vsque ad ca-
put foetus (quod in partu naturali primum in orificio
vteri se sistit) peruenire possimus, tunc talis femina omni-
no partui est proxima, alias vero non.

§. XL.

Per tactum etiam cognoscimus, num dolores par-
tus, qui adsunt, sint veri, an vero spurii (§. XXXVIII)?
Si enim sunt veri partus dolores tunc isto tempore, quan-
do adfligunt, per tactum cognoscimus:

- a.) orificium vteri magis aperiri
- b.) partem istam foetus, quae occupat orificium vteri,
v. g. caput foetus in partu naturali, magis antror-
sum versus vaginae aperturam propelli:
- c.) vesiculam, quae fit a membranis foetum inclu-
dentibus, atque ab aquis in hoc cauo, à membra-
nis foetus formato, contentis, capaciolem fieri.

Schol. Haec vesicula (num. 3.) in iis tantum obseruatur, in qui-
bus nondum aquarum ob dictarum membranarum foetum
cingentium rupturam, in quibus foetus haeret, factus est
effluxus. Hinc, quia secundum accuratiorum Medico-
rum opinionem dictae hae aquae multum facilitare iuuant,
ipsam exclusionem foetus ex vtero, quatenus vias emol-
liunt, atque simul magis dilatant, omnis cautio adhibenda,
ne improuida immisione digiti in vaginam efficiamus,
quando talis visicula obseruatur, vt iusto citius ruptura hu-
ius vesiculae et hinc effluxus aquarum eueniant.



§. XLI.

Quando tactus (§. XXXVIII.) post praegressos partus dolores peragitur, tunc cognoscimus, an veri dolores suos effectus decentes praestiterint, an orificium magis dilatatum fuerit, an foetus ulterius progressus, et quod est maximum, quatenus pars infantis ista sit, quae se sistit in uteri orificio interno?

§. XLII.

Neutiquam enim credendum est, ac si esset semper res admodum facilis ope tactus statim cognoscere, quatenus sit ista pars, quae per orificium internum uteri primum transgredi vult. Nam

- 1.) partes foetus variae magnam habent inter se similitudinem, ob quam facile in diiudicando, nisi omnes nervos accuratissime intendamus, errorem admittere possumus. Videmus v. g. similitudinem talem inter nates atque caput, inter cubitum atque genu etc.
- 2.) partes foetus ratione conformationis mutantur, si nempe nimis diu partus protrahitur, v. g. intumescunt etc. ut sic facile similitudinem quandam cum alia parte obtrineant, quam naturaliter non habent.

Consequens ergo est, explorationem constitutionis orificii uteri interni etiam post praegressos dolores veros maxime esse utilem (§ praec.).

§. XLIII.

Ex his omnibus dictis patet, quod digiti applicatio ad collum uteri eiusque orificium in graviditate non solum

solum sit maxime utilis, sed etiam simul semper possibilis; modo dicta nunquam non rite obseruentur. Quare etiam isti Auctores omnino in errore versantur, qui affirmant, digitum ad orificium vteri internam vsque non posse pertingere, vti dictum (§. XXIX.)

§. XLIV.

Diximus quidem signa grauiditatis certa esse post medium gestationis tempus, constitutionem colli vteri eiusque orificii singularem, motum infantis, atque intumescentiam abdominis, praeter haec vero quaedam etiam sunt, quae vltimis gestationis temporibus in conspectum adhuc veniunt, et si cum prioribus dictis combinantur, omnino nomen signorum certorum promerentur: Sunt autem haec

- 1.) Intumescencia partium genitalium externarum;
- 2.) Effluxus muci ex vagina vteri;
- 3.) Color partium genitalium mutatus; et
- 4.) Praesentia lactis.

§. XLV.

Intumescencia haec partium genitalium (§. praec. no. 1.) dependet in vltimis gestationis mensibus partim ab expansione vasorum, tam sanguiferorum, quam serosorum ac lymphaticorum, partim ab adfluxu sanguinis, quatenus hic continuat, ipse vero refluxus impeditur, partim à compressione foetus.

§. XLVI.

Causa muci fluxus (§. XLIII. no. 2.) ex vagina vteri quaerenda est in adfluxu copiosiori humorum ver-

fus partes generales praegnantis, inde vasa magis dilatantur, per consequens et maior effluxus muci, qui a glandulis in vagina vteri haerentibus secernitur, nec non ab aliis, quae obsident vteri cervicem. Talis mucus conducit ad partium lubricationem, et ad partum facilitandum. Notandum insuper, quod si muci huius effluentis color sit sanguine tinctus, indicet ut plurimum, partum esse instantem.

§. XLVII.

Partium genitalium color (§. XLIV. no. 3.) extra tempus grauiditatis naturaliter magis est pallidus, in grauidis vero magis rubicundus adparet. Dependet in primis haec coloris mutatio ab adfluxu sanguinis copiosiori versus partes generales, atque simul ab expansione maiori, quam vasa minora patiuntur.

§. XLVIII.

Nulla est contradictio, quando supra intumescencia genitalium, lactis praesentia ad signorum praegnantiae dubiorum classem à nobis fuere relatae (§. VIII.); hic vero (§. XLIV.) has inter signa certa grauiditatis numeramus. Supra enim simpliciter locuti sumus, hic vero conditionate, nempe tunc demum sunt signa certa:

- 1.) quando tria enarrata atque a nobis exposita signa certa (§. IX.) locum inueniunt, et
- 2.) quando tempus partus fere instat.

§. XLIX.

Existimamus itaque, iure à nobis affirmari posse, signa certa Partus omnino dare. Dolendum interim est,

est, verecundiam nimiam mulierum saepius impedi-
mento esse, quo minus haec, num adsint nec ne? ex-
plorari possint.

§. L.

Tandem coronidis loco et hoc adhuc ex haecenus
dictis sequitur: graviditatis certitudinem semper esse
maiolem, quando dicta tria signa (§. IX.) collectiue
sumuntur, quam si distributiue in casibus obuiis ad-
plicantur, id est, multo maiori cum certitudine ab omni-
bus tribus recensitis signis simul praesentibus ad graui-
ditatem concludere possumus, quam si ex vnico horum
propositorum signorum tantum conclusionem
inferre volumus.

F I N I S.



CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE
MEDICINAE DOCTORANDO
IO. CHRISTOPHORO HARRES

S. P. D.

GEORGIUS ERHARDVS HAMBERGERVS

Praedicato medici, quod gratiofus esse debeat, non ii solum se digni reddunt, qui praxin rationalem indefesso addiscunt studio, omnesque reliquas disciplinas, quibus animus ad iudicandum et ad perspiciendas veritates medicas aptus redditur, simul in subsidium trahunt, sed ii potissimum, qui sequiori sexui in periculossimo vitae suae statu, partus nempe tempore et post partum, citam et salutarem opem ferre sciunt. Cum igitur non solum in nostra Academia, ad addiscendas veritates medicas tam theoreticas quam practicas, sed etiam in Argentoratensi, ad acquirendam aptitudinem parturientibus et puerperis inseruiendi, omnem necessariam adhiberis diligentiam, maxime fore spero, vt felicitis et gratiosi aliquando medici obtineas nomen. Gratulor quoque **TIBI** honores doctorales, mox ex merito capeffendos, Deumque **TIBI** in omnibus **TVIS** actionibus propitium ex animo adprecor. Dab. Ienae d. xiv. April. MDCCLII.

Jura, Diss., 1751-52


ULB Halle

005 108 659

3







B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS
DE
**SIGNIS GRAVIDITATIS
CERTIS**

23
175-28

QVAM
ANNVENTE DIVINA GRATIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
D O M I N O
ERN. AVG. CONSTANTINO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQA.

SVB PRAESIDIO
CAROLI FRIDER. KALTSCHMIED
PHILOSOPH. ET MEDICIN. DOCTORIS, ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET
BOTANICES, PROF. PVBL. ORDINARII. SERENISS. DVC. SAXO-VINA-
RIENSIS ET ISENACENSIS ET SERENISS. MARCHIONIS BRANDEN-
BVRGICO-CVLMBACENSIS CONSILIARII AVLICI, PRIORIS MEDICI
ET PHYSICI, COMIT. PALATINI CAESAREI ACAD. IMP.
NAT. CVRIOS. COLLEGAE.

PATRONI PROMOTORIS AC PRAECEPTORIS
OMNI PIETATIS CVLTV AETATEM
DEVENERANDI

PRO GRADV DOCTORIS
MORE MAIORVM RITE OBTINENDO

DIE XIX. APRIL. MDCC LII.
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVIVISIONI
SVBIIICIT

A V C T O R
IOANNES CHRISTOPHORVS HARRES
ISENACENSIS.

* * * * *
IENAE LITTERIS TENNEMANNIANIS